

neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum finibus rectaque fluminis Danuvii regione³ pertinet ad fines Dacorum; hinc se flectit sinistrorsus diversis ab flumine regionibus multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit; neque quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter sexaginta processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit; multaue in eâ genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint: ex quibus quae maxime differant ab ceteris et memoriae prodenda videantur, haec⁴ sunt.

¹for a man lightly equipped. ²to be defined. ³in a straight line parallel to the river Danube. ⁴as follows.

XLVI.

One-horned cattle. The elk (Caes., Bell. Gall., VI., 26, 27).

Est bos cervi figurâ, cuius a media fronte inter aures unum cornu exsistit¹ excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus; ab eius summo sicut palmae ramique² late diffunduntur. Eadem est feminae marisque³ natura, eadem forma magnitudoque cornuum. Sunt item, quae appellantur alces.⁴ Harum est consimilis capris figurâ et varietas pellium,⁵ sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus⁶ et crura⁷ sine nodis articulisque habent, neque quietis causâ procumbunt neque, si quo afflictæ casu⁸ conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt⁹ arbores pro cubilibus: ad eas se applicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores, tantum ut species¹⁰ earum stantium relinquatur. Huc cum se reclinaverunt, infirmas arbores pondere affligunt atque unâ ipsae concidunt.

¹rises. ²like branching hands; literally, like hands and branches (hendiadys). ³a male. ⁴elk. ⁵a piebald skin. ⁶with blunted horns. ⁷legs. ⁸by any accident. ⁹serve them. ¹⁰appearance.

XLVII.

The primitive ox (Caes., Bell. Gall., VI., 28).

Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie¹ et colore et figura tauri. Magna vis eorum est et magna velocitas, neque hominibus neque